



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens primos 25. Psalmos

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, [1761]**

**VD18 15558428-001**

Psalmus XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)

nisi dorsum, pars videlicet flagellis expo-  
sita; ut sic toti flagellentur. Diriges vul-  
tum eorum ad considerandos electos tuos,  
quos tibi reliquisti.

*Ps. 133. Exaltare Domine in virtute  
tuâ, cantabimus, & psallemus vir-  
tutes tuas.*

Concludit acclamando Christo Regi.  
Qui aliquando apparuisti humilis, & ve-  
lut infirmus crucifigi te passus es, jam po-  
tentiâ tuâ, devictis hostibus, & in ge-  
hennam detrusis, exaltare usque ad sum-  
mum Cælum; nos interim electi tui can-  
tabimus voce, & instrumentis musicis  
tuam potentiam, ut tecum aliquando sal-  
vemur.

## PSALMUS XXI.

*Titulus: In finem, pro susceptione matu-  
tina, Psalmus David.*

*Argumentum est Christi passio, &  
resurrectio. quæ facta est tempore matutino.*

*V. I. Deus Deus meus, respice in me,  
quare*



*quare me dereliquisti? longe à salute  
mea verba delictorum meorum.*

Loquitur in personâ Christi penden-  
tis in Cruce. *Respice & accipe sacrifici-  
um hoc pro genere humano oblatum.*  
*Quare &*, non queritur; sed protestatio  
passionis est, miraturque vim dolorum.  
Meritò me dixi derelictum in doloribus,  
quia delicta, quæ in me suscepi, non pos-  
sunt conjungi cum meâ salute; sed pati,  
& mori debeo, si ea purgare volo.

*¶. 2. Deus meus clamabo per diem,  
& non exaudies; & nocte, & non  
ad insipientiam mihi.*

Etiam si clamem die, ac nocte, non  
exaudies me, ut liberer à morte corporali.  
*Et non &c.*, & licet sciam me non exaudien-  
dum, ut mortem temporalem evadam;  
tamen prudenter clamo, quia quoad  
principalem intentionem certè exau-  
dior, quæ est redemptio hominum,  
mea gloriosa resurrectio &c.

*¶. 3. Tu autem in Sancto habitas,  
laus Israel.*

Quatuor rationibus probat, se pru-  
den-



denter clamare. Prima: omnino me ex-  
audies, quia in Sanctitate habitas, totus  
Sanctus, pius, ad quem malitia, vel cru-  
delitas accedere non potest; & ideo Te  
laudat populus Israel.

✧. 4. In te speraverunt patres nostri,  
speraverunt, & liberasti eos.

✧. 5. Ad te clamaverunt, & salvi  
facti sunt, in te speraverunt, & non  
sunt confusi.

Ratio secunda ab exemplis. Quo-  
ties filii Israel clamaverunt ad Dominum,  
misit eis salvatorem unum, Gedeonem,  
Sampsonem &c.

✧. 6. Ego autem sum vermis, & non  
homo, opprobrium hominum, &  
abjectio plebis.

✧. 7. Omnes videntes me, deriserunt  
me, locuti sunt labiis, & moverunt  
caput.

✧. 8. Speravit in Domino, eripiat eum;  
Salvum faciat eum, quoniam vult  
eum.

Ratio

Ratio tertia à pressurâ Christi cruci-  
 fixi. Sum in tali statu, ut videar non esse  
 homo; irrideor ob omni hominum gene-  
 re, nobilibus, ignobilibus, Sacerdotibus,  
 Laicis, Hebræis, Gentilibus. Dein præ-  
 dicit ea, quæ Judæi ad crucem facturi  
 erant, & dicturi. *Quoniam vult eum, h. e.*  
*si amat eum, ut ipse dicit.*

¶ 9. *Quoniam tu es, qui exaraxisti  
 me de ventre, spes mea ab uberibus  
 matris meæ.*

¶ 10. *In te projectus sum ex utero,  
 de ventre matris meæ Deus meus est  
 tu, ne discesseris à me.*

Quarta ratio ab innocentia perpe-  
 tuâ Christi. à nativitate tuus sum; non  
 ut ceteri, sed tuâ Virtute singulari natus:  
 ubera quidem Matris suxi, at lac de Cæ-  
 lo subministratum: ex utero in sinum sin-  
 gularis providentiæ cecidi; à vitæ initio  
 cepi te colere, in te confidere; ne igitur  
 me deseras, instante jam morte.

¶ 11. *Quoniam tribulatio proxima  
 est, quoniam non est, qui adjuvet.*



*Tribulatio, mors.* Non est alius, qui me adjuvare possit, ut sic moriar, ut mortem occidam.

Ps. 12. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.*

Ps. 13. *Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens, & rugiens.*

Hostes suos, Pontifices, & Phariseos, comparat vitulis, seu tauris, & leonibus, ut significet eorum crudelitatem. *Pingues*, h. e. potentes, divites. *Aperuerunt* &c. miro desiderio inhiabant morti. Alii per *Vitulos* intelligunt plebem indisciplinatum.

Ps. 14. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.*

Ps. 15. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio Ventris mei.*

Ps. 16. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxisti me.*

Docet



Docet, quo modo se gesserit contra inimicos suos. *Sicut aqua* &c. non restitit ullo modo, sed instar mollissimæ aquæ me præbui, in omnem partem versandum. *Dispersa* &c. omnis fortitudo mea dilapsa est, non eam amittendo, sed nolendo uti, præbendóque me ita debilem ad resistendum, quasi solam carnem sinè ossibus haberem. *Factum est eor* &c. non intumuit, aut induruit cor meum ad ulciscendum, sed factum est ut cera liquef-cens ex affectu pio erga illos, miserans, & orans pro eorum cæcitate. *Aruit* &c. robur meum quasi exaruit omni virore exhausto, quia videlicet ita me ligari, & vulnerari permisi, quasi impotens essem ad resistendum. *Et lingua* &c. ne verbo quidem adversarios lædere, aut de ipsorum injustitiâ conqueri volui. *Et in pul- verem* &c. Sic tandem per illos tu, Deus meus, adduxisti me in mortem, & sepulturam. Pulvis mortis est ipsa sepul- tura, quia mortui pulvere regi solent.

ψ. 17. *Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignanti- um obsedit me.*



ψ. 18. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Declarat modum, quo in pulverem mortis deductus est. *Canes multi, & concilium malignantium* sunt detractores multi, Pontifices, Pharifæi: hi falso Christo affingebant subversionem populi, tributum denegatum, affectationem Regni &c. *Dinumeraverunt &c.* ex corporis extensione in cruce factum est, ut omnia ossa numerari possent.

ψ. 19. *Ipsi verò consideraverunt, & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

Ad supplicium crucis addit ignominiam nuditatis. *Curiosè inspexerunt* totum corpus nudatum: nam vestes inter se milites diviserunt, & super tunicam sortem miserunt.

ψ. 20. *Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice.*

Expo-



Expositâ passione totâ, rogat Deum pro celeri resurrectione. Adversarii mei vires malitiæ omnes in me exercuerunt; jam tuum est, ô Deus, non differre amplius auxilium, sed, resuscitando corpus meum, paternè me defendere.

✠. 21. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicum meam.*

✠. 22. *Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam.*

Declarat, in quo sibi velit adesse auxilium. Libera à frameâ, à quovis instrumento mortis animam, vitam meam. Per unicum intelligit eandem vitam, quam unice diligebat. Per canem, leonem, cornua unicornium intelligit detractores, persecutores &c. Non petit Dominus hic servari vitam temporalem; sed celeriter, & ita restitui, ut non amplius pateat moribus canum &c.

✠. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.*

Inci-



Incipit narrare fructum resurrectionis suæ. Per Apostolos meos notitiam divinitatis tuæ manifestabo non amplius in angulo Judææ, sed omnibus hominibus, qui fratres mei sunt ob assumptam carnem.

✠. 24. *Qui timetis Dominum, laudate eum, universum semen Jacob, glorificate eum.*

✠. 25. *Timeat eum omne semen Israhel, quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.*

*Qui timetis, h. e. colitis. Universum semen Jacob, & Israhel, non tantum ii, qui sunt Israhelitæ secundum carnem, sed etiam spiritum, ut sunt gentiles conversi. Deprecationem pro resurrectione, gloriâ, victoriâ, redemptione. Pauperis Christi in cruce nati, sitientis &c.*

✠. 26. *Nec avertit faciem suam à me, & cum clamarem ad eum, exaudivit me.*

Idem repetit aliis verbis, auditam scil. à Deo Orationem Christi.

✠. 27.



27. *Aput te laus mea in Ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

Hortatus erat fideles suos, ut Deum laudarent, nunc prædicit id omnino futurum. Per fideles meos laudabo te non in cætu paucorum Hebræorum, sed in Ecclesiâ omnium gentium; per Sacerdotes meos Nov. Leg. assidue immolabo sacrificium in conspectu eorum, qui te colunt, seu verorum fidelium.

28. *Edent pauperes, & Saturabuntur, & laudabunt Dominum: qui requirunt eum, vivent eorde eorum in seculum seculi.*

De hoc sacrificio edent, qui suam paupertatem spiritualem agnoscunt; & Saturabuntur, quia gustabunt bonum, quod est super omne bonum. Hic erit fructus refectionis vita gratiæ hic, & postea vita gloriæ æterna.

29. *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum, universi fines terræ.*

Ideo



Ideo laudabunt Dominum, quia merito Sacrificii Crucis ad Deum convertentur *universi fines*, h. e. omnes gentes, non quidem singuli homines, sed ex omnibus gentibus aliqui, & recordabuntur solum Deum suū authorem esse, quod lapsi in idololatriam erant obliti.

✧. 30. *Et adorabunt in conspectu ejus universæ familie gentium.*

Dicit idem. Relictis idolis, adorabunt eoram Domino, seu Dominum.

✧. 31. *Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.*

Ideo convertentur, & adorabunt Deum, quia ipse est, & erit Rex verus, & naturalis omnium gentium, non Dæmones &c.

✧. 32. *Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ, in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.*

Non tantum edent, laudabunt & adorabunt pauperes, ut antè dixit; Sed etiam omnes pingues, divites, potentes, Reges, &

& omnes mortales, qui tandem morte resolventur in pulverem, genua flectent, adorabunt. Atque hæc generalis conversio gentium est fructus Dominicæ passionis, & resurrectionis.

v. 33. *Et anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi.*

Concludit Psalmum: ego Deo semper vivam, & posteritas mea regenerata per aquam, & Spiritum S. Serviet ipsi.

v. 34. *Annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt Cæli justitiam ejus, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.*

Hebraismus sic reddi debet: generationi venturæ, h. e. populo novi Testamenti annuntiabitur de Domino, & justitiâ ejus, quæ est justitia Fidei. Cæli &c. Cælestes homines. *Quem fecit*, quia populus iste est peculiaris Dei populus, à Deo propriè regeneratus, & creatus in Christo in operibus bonis.